



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XX. Ordo Cælestinorum à S. Petro Cælestino institutus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

tio reformata, sub instituto Vallis Umbro-
fæ.

CAPVT XX.

*Ordo Cælestinorum à S. Petro Cælestino
institutus.*

Petrus cognomento Moronensis (sic à
Morono monte, in quo vitam asperam
duxit, appellatus) patria AEserninus vitam
anachoreticam in summa austeritate apud
Sulmonem ducens, fama que sanctitatis ful-
gens, cum ordinem Cælestinorum instituis-
set à Gregorio X. approbatum, absens Peru-
siæ à Cardinalibus, operâ Caroli Regis Nea-
politani, & Latini Cardinalis, Pontifex post
Nicolaum IV. anno salutis millesimo du-
centesimo nonagesimo quarto eligitur, ac
Cælestinus V. appellatur. Qui Aquilæ maxi-
mò hominum concursu (200. siquidem mil-
lia Aquilam, vt eremitam Pontificem factum
cernerent, tradunt conuenisse) consecratus,
duodecim Cardinales creauit, vitamque pri-
stinam quò ad vigilias, ieiunia & orationes
retinebat, Latini Cardinalis præcipuè opera
in administrando Pontificatu vsus. Erat au-
tem in omnes ita humanus, benignus & faci-
lis, vt mortuo Latino, à nonnullis Cardina-
libus, maximè verò à Benedicto Caietano, vt
se illo abdicaret, ne Ecclesia sui caussa detri-
mentum

K

mentum

mentum pateretur, facile ipsi persuaderetur. Quare Cœlestinus onus humeris suis impar esse dicens, Neapoli collegio Cardinalium coacto, sexto mense Pontificatum, Carolo Rege & alijs reluctantibus, deposuit, eremūque repetijt. Interim Benedictus Caietanus Pontifex creatus, & Bonifacius VIII. dictus, ne Petrus ad sedem ab æmulis Cardinalibus & Principibus, quibus factum improbatur, reuocaretur, illum in itinere captum, in castro Fumonis apud Ferentinum iussit custodiri. Vbi post septemdecim menses cessit è vita. Quem miraculis clarum Clemens V. Pontifex Maximus Auenione 5. Nonas Maij anno salutis millesimo trecentesimo decimono Sanctorum numero adscripsit. Corpus primùm ex Cœlestinorum monasterio Ferentinum delatum est: inde clam sublatum Aquilam deductū fuit, vbi S. Petrus an. salutis millesimo quingentesimo vigesimo, die 11. & 12. Iunij Pontificali habitu indutus, valdeque refulgens supra templum S. Mariæ (in quo corpus asseruatur) cùm horæ vespertinæ decantarentur, apparuisse, vrbi que benedixisse traditur: vt narrat Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiae. Est autem Aquila vrbs regni Neapolitani, ad Ducem Parmensem pertinens.

Vitam Sancti Petri Cœlestini scripsere
 Petrus Aliacus Cardinalis & Episcopus
 Came-

Cameracensis, itemque Paulus Regius & alij.

Exstat sancti Cœlestini elogium apud Petrarcham lib. 2. de vita solitaria : *Papatum*, inquit, *quo nihil est altius, quis vlla atate, præsertim ex quo tanto in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo contempsit, quam Cœlestinus ille, pristinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egestatem appetens ? Audiui narrantes qui viderant, tanto illum fugisse cum gaudio, eaque signa lætitiæ spiritualis oculis ac fronte gestantem, dum à conspectu Concilij iam tandem sibi reditus ac liber abscederet, quasi non humerum blando oneri, sed collum diris securibus subduxisset.*

CAPVT XXI.

Cœlestinorum Monasteria in Prouincia Francia.

S. Mariæ Parisiense conditum anno 1352. *Paris.*

S. Mariæ Ambertinense, siue de Amber- *Ambert.*
to, anno 1300.

Sancti Petri de Castris, siue monasterium *S. Pierre*
Castrorum, conditum est à Philippo IV. *pascha-*
Rege Galliarum, in monte Castrorum, ex Prio- *steaux.*
ratu, quem à S. Crispini Abbate Sueslionensi
acquieserat.

Sanctæ Mariæ Ternense siue de Ternis, *Ternes.*

K 2 anno